Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35054
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

tante Civitatis parentibus optimis privatus. Hic itaque adveniente scismate quod videmus, prophanam illam apostrisim et apostaticos abhorrendo curavit ab astrisca Gallia ad comunitatem unitatis sancte matris ecclesie patriam remeare. Nec quod tantis sensibus abhominabatur videretur illorum nequicie. Hunc itaque pater sanctissime virum egregium scientificum detestatorem viciorum et efficacissimum virtutum cunctarum monitorem, vobisque notum, nobis vero carissimum, vestreque Beatitudinis devotissimum oratorem atque colatorem, Sanctitati vestre totis affectibus comendamus. Nam si quid devocioni vestre credere dignetur Apostolica Beatitudo, non credimus vos posse in terris ecclesie Romane virum tante comendationis et meriti reperire. Datum etc.

·Dno ppe·

cclxxxviii

Sanctissime ac Beatissime in Christo pater et domine. Nuper reverendus in Christo pater dominus frater Anthonius de Cypolonibus in Fesulanum Episcopum designatus, devocionem meam pro parte sedis Apostolice requisivit, de quibusdam processibus atque sentenciis quos vestra dicitur Sanctitas contra creaturam illam apostolicam quam vestre Sanctitatis benignitas manibus suis plasmavit. Et pro ipso sancte matris ecclesie contra scismaticos regni Sicilie detentores in Jherusalem et Sicilie regem solempniter ordinavit tenore tribuli protulisse. In qua pater beatissime nequit se continere mea devocio, quin in merore atque mesticie motus intestinis sensibus concitemur. Heu tempora, heu malignitatis dies! Ergo ne videbimus quod tantarum rerum effectuum mutabilitate patrem ymo sanctissimum patrem contra filium, ymo contra devotissimum filium, quem ecclesie pugilem et christiane fidei defensorem elegerat, excommunicacionis dampnacionis formare processus et deposicionis simul promulgare. Quid amodo tutum? Quid in hac societate mortalium poterit esse certum? Postquam inter apicem et opificium tantum et tale presidium hostis humane nature, satorque discordie seminavit. Heu, heu miseros christianos, cum adhuc scismaticorum feritas potenter effervescat, et cum de regno plus restet recuperare quam fuerit hucusque defensum, cum admiraculoso principis hostium decessum res debent in melius commutari. Ecce virum ecclesie Romane corpus sepe tamen gladium in visceri sua convertit. Quid in visceri dixi, ymo in caput et capita proh dolor hinc inde principes invaserint. Nec scimus qualiter amodo possit pars ista catholica fluctuans et divisa contra scismaticam opinionem humanis viribus se tueri. Et si recte voluerimus iudicare videamus illos longe maiore potencia, et quippe etiam invalidiores validos solet efficere. Veritati perfectissima sui status columine, proverre. Speramus tamen quod tandem infinita dei misericordia gregem suum non deseret, et quippe demum tanto clarior sue maiestatis gloria refulgebit quanto difficilior fuit impugnando certamen tantoque victoria miraculosior quanto minus viribus humanis videbitur superasse. Que quidem optatum desiderabilemque triumphum illa summa et increata potencia dignetur sicut speramus Sanctitati vestre concedere, que sic vos dederit ecclesie